



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Quinam admittendi non sunt in Patrinos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 103

jussores apud Deum extitisse pro illis quos visi-
estis de sacro fonte suscipere: ideoque eos ad-
monete, ut castitatem custodiant, justitiam
diligant, charitatem teneant.

Rationem affert Divus Thomas cum ait.
Dicendum quod spiritualis regeneratio qua fit per Baptismum assimilatur quodammodo ge-
nerationi carnali. In generatione autem car-
nali parvulus nuper natus indiget nutrice &
pedagogo. Unde & in spirituali generatione
Baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice
nutricis & pedagogi, informando & instruendo
eum quasi novitium in Fide de his quae per-
tinent ad fidem & vitam Christianam, ad
quod Praelati Ecclesiae vacare non possunt,
circa communem curam populi occupati. Par-
vuli enim & novitii indigent speciali cura
prae communem: & ideo requiritur quod
aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte
quasi in suam instructionem & tutelam. Et
hoc est quod Dionysius dicit, ult. cap. Eccles.
Hierarch. Divinis nostris ducibus ad mentem
venit (id est Apostolis) & visum est susci-
pere infantes secundum istum sanctum modum
quod naturales pueri parentes traderent pue-
rum cuidam docto in divinis pedagogo, & re-
liquum sub ipso puer ageret sicut sub divino
Patre & salvationis sancta susceptore.

Quaest. 2. Quinam admittendi non sunt in
Patrinos, aut susceptores?

Resp. Ex sancto Carolo, qui ait. Id cura sit
Parochis & reliquis animarum Curatoribus,
ut quos Compadres ita rudes esse animadver-
terint, qui fidei Symbolum, Orationem Domi-
nicam, & Salutationem Angelicam ignorent,
eos hoc munus obire ne patiantur. Est enim ab
omni ratione alienum, ut qui se Deo fidejusso-
res constituunt, ii res illas nesciant, quibus

D. Tho. 3. p.
q. 67. art. 7.
in corp.

S. Carol. A. A.
p. 2. in De-
cretis editis
in 2. Synodo
Decreto 15.

se alios instructuros esse sanctè pollicentur. Denique verisimile est, ut qui in seipsis hoc neglexerint, idque culpa admiserint, negligentiores etiam in eo sint, ut alii iis rebus instructiores fiant, quarum ipsi rudes omnino sunt.

Eodem ducitur motivo Rituale Romanum, cum ait. Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos Infideles, aut Hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos, aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta Fidei. Hac enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

Quest. 3. Clerici sæculares aut regulares possunt ne esse Patrini?

Resp. Clerici regulares non possunt, ut patet ex Can. Non licet Abbati vel Monacho de Baptismo suscipere filios, vel commatres habere.

Et ex Rituale Romano, ubi sic legitur. Præterea ad munus Patrini admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cuiusvis Ordinis. Regulares à seculo segregati.

Clerici etiam sæculares non debent illud munus obire, maximè si sint sacris Ordinibus insigniti, cum illud illis prohibitum fuerit à multis Conciliis. Concilium Aquense anno 1585. De Baptismo. Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec Clericus secularis sacris initiatus aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens. Et sanctus Carolus in secunda Synodo, Decreto 17. ait. Clericis qui sacris Ordinibus initiati sunt, infantem de sacro Baptismi fonte suscipere vetitum sit.

Ritual. Roman. De Sacram. Baptis. tit. De Patrini.

Can. Non licet. De Conf. diff. 4.

Ritual. Roman. De Patrini.